



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. IV. Vtrum Beati sint impeccabiles ab intrinseco?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

tionis in Beatis, & tristitia in damnatis: Atqui A  
 objectum immediatum tristitiæ, quam habent  
 damnati, non est Deus secundum se, sed caren-  
 tia divinæ visionis: Ergo objectum immediatum  
 delectationis Beatorum non est Deus, sed visio  
 beatifica.

55. Huic argumento respondet Caietanus 2. 2.  
 qu. 17. art. 5. negando paritatem: duplicem au-  
 tem assignat rationem discriminis. Prima est,  
 quia Beati habent appetitum rectè dispositum;  
 & ideo primò & principaliter gaudent de eo de  
 quo magis est gaudendum: primò enim gau-  
 dent de bono divino in se, secundò de bono  
 divino, quatenus est ipsorum bonum, & tertio  
 de ipsa visione: At verò damnati, quia habent B  
 voluntatem deordinatam, non tristantur de eo  
 quod opponitur bono divino in se, cuiusmodi  
 est malum culpæ; neque similiter de Deo non  
 viso, sed tantum de carentia visionis. Secunda  
 disparitas est, quia Deus secundum se est obje-  
 ctum maximè conveniens creaturæ rationali;  
 unde secundum se habet quòd possit esse obje-  
 ctum delectationis Beatorum: At non habet se-  
 cundum se aliquid disconveniens, sed tantum  
 quatenus infert aliquod malum pœnæ; & ideo  
 sub hac tantum ratione est objectum tristitiæ in  
 damnatis.

56. Objicies quartò: D. Thomas infrà quæst. 11.  
 art. 3. ad 3. dicit quòd finis sumptus pro re quæ  
 est finis, & pro adeptione rei, non sunt duo fi-  
 nes, sed unus finis; ex quo infert eadem fruitio-  
 ne nos frui Deo, & visione illius: Ergo delecta-  
 tio seu fruitio beatifica est de utraque imme-  
 diatè.

57. Respondeo concessò Antecedente, negando  
 Consequentiam: licet enim verum sit eadem  
 fruitio nos frui Deo, & beatitudine formali,  
 quæ est adeptio Dei, non tamen eodem modò;  
 sed Deo fruimur primò & principaliter, visione  
 verò, quæ est adeptio ejus, secundariò & per  
 reflexionem, ut in secunda parte conclusionis  
 declaravimus. Neque hinc sequitur esse duos fi-  
 nes, Deum & ejus adeptionem: nam ut essent  
 duo fines ultimi, opus esset ut tam Deus, quàm  
 ejus adeptio, haberent dignitatem ultimatè di-  
 ligibilem propter se; hoc enim est de ratione ul-  
 timi finis: quod hic non contingit, cum solus  
 Deus talem bonitatem habeat; adeptio verò  
 ejus solum sit id quò Deus talem bonitatem  
 habens nobis conjungitur.

ARTICVLVS IV.

*Utrum Beati sint impeccabiles ab  
 intrinseco?*

Negant Scotus & Nominales in 1. dist.  
 1. qu. 4. asserentes Beatos esse impeccabi-  
 les solum ab extrinseco, & ex divina providen-  
 tia, impediente ne in peccatum labantur, eos-  
 que ad Dei amorem continuò determinante &  
 applicante. Quam sententiam probabilem repu-  
 tat Salas hic tract. 2. disp. 7. sect. 8. licet oppo-  
 situm iudicet probabilius, loquendo de visione  
 quæ beatificatur de facto, secus de alia possi-  
 bili, quæ tam tenuis, inquit, esse potest, ut non  
 confirmet ab intrinseco in bona voluntate. Op-  
 positum docent alij Theologi, maximè Thomis-  
 tæ: unde sit

Tom. III.

S. I.

*Conclusio affirmativa statuitur.*

Dico breviter, Beatos esse impeccabiles ab  
 intrinseco.

58. Probatur conclusio multipliciter: Primò, quia  
 Beatitudo petit ab intrinseco omne bonum af-  
 ferre, & omne malum auferre: Sed impeccabi-  
 litas est maximum bonum, peccatum verò sum-  
 mum malum: Ergo beatitudo postulat ab intrin-  
 seco excludere omne peccatum, & reddere  
 beatum impeccabilem.

59. Secundò probatur: Beatitudo est inamissibi-  
 lis ab intrinseco, ut ostendemus in ultima dis-  
 putatione: Ergo petit ab intrinseco excludere,  
 seu impedire omne id ratione cuius possit amit-  
 ti: sicut cælum, quia ab intrinseco est incorru-  
 ptibile, ab intrinseco petit excludere omne quod  
 ad illius corruptionem disponderet: At pecca-  
 tum, si de facto daretur, beatitudinem destrue-  
 ret; cum beatitudo sit summa felicitas, pecca-  
 tum verò summa miseria: Ergo beatitudo ab in-  
 trinseco petit peccatum excludere, si commissum  
 inveniat, & committendum impedire.

60. Tertio probatur: Licet repugnet creaturæ ef-  
 se impeccabilem per naturam, ei tamen conve-  
 nire potest impeccabilitas per gratiam: At nulla  
 gratia ad hunc effectum præstandum aptior est,  
 quàm gratia consummata patriæ, cum illa sit  
 perfectissima, & veluti in suo centro & statu  
 connaturali: Ergo illa reddit Beatos ab intrin-  
 seco impeccabiles: unde 1. Petri 1. vocatur *in-*  
*corruptibilis & incontaminata hereditas.*

61. Confirmatur: Gratia patriæ est multò perfe-  
 ctior, saltem quantum ad modum operandi,  
 quàm quælibet gratia viæ; cum illa reguletur  
 per lumen gloriæ, & claram Dei visionem, ista  
 verò per fidem & cognitionem obscurem: Sed  
 gratia viæ interdum confirmat & immobilitat  
 hominem in bono, illumque reddit impeccabi-  
 lem, etiam venialiter, ut patet in Beata Virgi-  
 ne: Ergo à fortiori gratia patriæ id præstat in  
 Beatis & comprehensoribus.

62. Neque valet, si dicas donum confirmationis  
 & impeccabilitatis in Beata Virgine, & in aliis  
 Sanctis confirmatis in gratia, non provenire ab  
 aliqua perfectione intrinseca gratiæ, sed ab ex-  
 trinseco favore & manutentione Dei; quæ etiam  
 ratione omnes Beati sunt impeccabiles, juxta  
 sententiam Scoti. Non valet, inquam, nam  
 ( præterquam quòd hoc falsum est, ut demon-  
 strant nostri Thomistæ in tractatu de gratia; ubi  
 docent in viatoribus donum confirmationis in  
 gratia non solum consistere in providentia Dei  
 extrinseca, occasiones peccandi tollente, sed  
 etiam in aliqua perfectione intrinseca gratiæ,  
 quæ attenditur secundum quandam participat-  
 tionem gratiæ & charitatis patriæ; de quo vi-  
 deri potest Alvarez disp. 104. de auxiliis ) hoc  
 datò, non infringitur vis argumenti propositi:  
 Gratia enim patriæ, cum sit perfectior, & in suo  
 statu connaturali, aliquid amplius exposcit  
 quàm gratia viæ: Ergo si gratia viæ extrinseco  
 favore & manutentione Dei interdum reddat  
 hominem impeccabilem, gratia consummata  
 patriæ id ex natura sua, & ex perfectione sibi  
 intrinseca præstare petit.

63. Quartò probatur conclusio: Sicut se habet  
 voluntas damnatorum ad malum, ita ad minus  
 se habet voluntas Beatorum ad bonum: Sed

I ij

damnati, ex eo quod sunt in termino, ita habent voluntatem obstinatam & obfirmatam in malo, ut nullum possint bonum opus elicere, ut in tractatu de Angelis ostensum est: Ergo etiam animæ Beatorum ex ipsa conditione & natura statim beatifici, quia nimirum sunt in termino, habent voluntatem ita confirmatam in bono, ut nullum peccatum mortale aut veniale possint committere. Unde Augustinus lib. 3. contra duas Epist. Pelagian. cap. 7. *Hic præceptum est, ut non peccemus: ibi præmium, non posse peccare.*

64. Quinto: Ex D. Thoma 1. p. quæst. 63. art. 1. illa creatura est impeccabilis ab intrinseco, quæ immobiliter conjungitur regulæ suæ operationis: Sed Beatus regulæ suæ operationis, nempe ultimo fini, per visionem & amorem beatificum immobiliter conjungitur: Ergo est ab intrinseco impeccabilis. Minor patet, Major probatur: tum quia peccare nihil aliud est quàm deflectere & declinare à rectitudine suæ regulæ: tum etiam quia, ut ibidem ait S. Doctor, si manus artificis esset ipsa regula incisionis, vel talem regulam inseparabiliter haberet sibi conjunctam, non posset nisi rectè scindere: Ergo similiter voluntas, quæ immobiliter conjungitur regulæ suæ operationis, non potest nisi rectè operari, subindeque est ab intrinseco impeccabilis.

65. Denique suadetur conclusio, declarando in particulari duplicem radicem seu causam, unde oritur impeccabilitas in Beatis. Prima est ipsa visio beatifica, quæ triplici ratione potentiam peccandi à Beatis excludit. Primò, quia totam creaturæ rationalis capacitatem implet: nam ut discurretur S. Doctor 4. cont. gent. cap. 70. ratione 2. ex eo voluntas immutabilis redditur, quod totaliter ejus capacitas impletur; sicut cælum est immutabile substantialiter & incorruptibile, quia tota capacitas materiæ ejus expletur per ipsius formam: Sed tota capacitas voluntatis creaturæ rationalis expletur per visionem beatificam, per quam omnia ejus desideria perfectè implentur, ut disputatione præcedenti in digressionem de visione beata ostensum est: Ergo per visionem beatam voluntas creaturæ rationalis redditur immutabilis à bono in malum, subindeque omnino impeccabilis.

66. Secundo, ut ibidem Præceptor Angelicus eodem libro cap. 92. ratiocinatur, peccatum in voluntate non accidit, sine aliquali ignorantia intellectus, propter quod dicitur Proverb. 14. *Errant qui operantur malum;* & Philosophus 3. Ethic. ait quod *Omnis peccans est ignorans:* Sed visio beata excludit ab intellectu Beatorum omnem defectum erroris, ignorantia, & inconsiderationis, præsertim circa agibilia in particulari; cum juxta communem Theologorum sententiam, cuilibet Beato ex vi visionis debeatur cognitio omnium pertinentium ad proprium statum: Ergo visio beatifica ex vi sua omne peccatum à voluntate Beatorum excludit. Unde Nazianzenus oratione 44. splendori seu visioni quam à Spiritu Sancto habent Angeli, tribuit quod peccare non possunt. Et Isidorus lib. de summo bono cap. 12. *Angeli (inquit) licet sint naturæ suæ mutabiles, non sinit tamen eos contemplatio mutare divina.*

67. Tertiò: Videns Deum nihil potest appetere nisi ratione bonitatis divinæ, & in ordine ad illam: Ergo ex vi beatificæ visionis redditur

impeccabilis. Consequentia est bona: nam peccans appetit objectum absque ordine ad bonum divinum. Antecedens probatur: Nam ut ait S. Thomas hic art. 4. & 1. p. qu. 62. artic. 8. & qu. 24. de verit. art. 8. sic se habet respectu videntis Deum bonitas visa, sicut respectu viatoris bonitas in communi: At viator nihil potest appetere nisi ratione boni in communi: Ergo nec videns Deum potest aliquid velle, nisi ratione bonitatis divinæ, & in ordine ad illam.

Hanc rationem D. Thomæ improbat Vazquez hic disp. 18. cap. 2. num. 9. & ait illam non videri admodum efficacem: nempe quia alio modo comparatur bonum in communi cum singulis objectis voluntatis, quàm Deus cum eisdem; bonum enim in communi includitur essentialiter in singulis objectis, circa quæ voluntas versatur actu prosecutionis; & hac ratione non potest aliquid velle voluntas, quod non sit bonum, neque ab aliquo averti, quod bonum sit: At verò Deus non ita includitur in singulis objectis voluntatis; & ideo dispar est inter utrumque ratio.

69. Verùm hæc instantia & ratiocinatio frivola est: etsi enim bonum divinum non claudatur essentialiter in bonis appetibilibus, non minùs tamen efficaciter movet voluntatem Beati, quàm bonum in communi voluntatem viatoris; imò efficacius movet, cum necessitet voluntatem Beati non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, ut art. 1. ostendimus: Atqui (subsumo) propter efficaciam quæ gaudet bonum ut sic respectu voluntatis viatoris, nihil potest illi ut bonum proponi, nisi prout stat sub bono in communi: Ergo ob majorem efficaciam bonitatis divinæ respectu voluntatis Beati, nihil poterit illi ut bonum proponi, nisi ut stat sub ordine ad bonitatem Dei.

70. Confirmatur: Ideo viatori nihil potest representari ut bonum, nisi sub ratione boni in communi, quia evidenter judicat nihil esse bonum, nisi ut clausum sub illa: At videns Deum etiam evidenter judicat nihil esse bonum, nec diligibile, nisi ut stat sub ordine ad bonitatem Dei: Ergo sicut nihil potest viatori proponi ut appetibile, nisi ut stat sub bono in communi; ita nequit Beato aliquid ut appetendum proponi, nisi ratione bonitatis divinæ, & in ordine ad illam.

Hæc duæ rationes probant visionem Dei excludere non solum peccata commissionis, sed etiam omissionis: nam etiam hæc requirunt aliquem defectum in intellectu, & sunt volita saltem indirectè & interpretativè contra legem Dei.

71. Secunda radix unde oritur impeccabilitas Beatorum, est amor beatificus, qui ex visione sequitur, veluti prima ejus proprietas. Unde sic arguo: Beatitudo includit amorem beatificum, si non tanquam propriam essentiam & rationem formalem; saltem ut primam ac præcipuam ipsius proprietatem: Sed cum tali amore impossibile est actuale peccatum: Ergo beatitudini ab intrinseco competit impeccabilitas. Major patet, Minor probatur. Per peccatum homo avertitur à Deo ut ultimo fine, & per charitatem in Deum ut ultimum finem convertitur: At aversio à Deo, & conversio actualis in ipsum, simul esse nequeunt: Ergo cum amore beatifico impossibile est actuale peccatum.

72. Dices, hoc argumentò convinci Beatos non posse peccare mortaliter, quia peccatum mor-

Disp. 1.  
art. 1.  
§. 3.  
Cores.

tale est avertio à Deo ut ultimo fine: non probari tamen beatitudinem esse impossibilem cum peccato veniali, quod non avertit à Deo.

Sed contra: Licet peccatum veniale non avertat à Deo, divertit tamen ab ipso: At cum amore beatifico impossibile est nedum avertio à Deo, sed etiam diversio: Ergo amor beatificus non solum excludit peccatum mortale, sed etiam veniale, & cum neutro compossibilis est. Major est certa: per hoc enim differunt actus charitatis, peccatum mortale, & peccatum veniale, quod charitas convertit hominem in Deum tanquam in ultimum finem; peccatum mortale illum à Deo ut ultimo fine avertit; veniale autem neque convertit, neque avertit, sed solum divertit ab ultimo fine. Minor verò probatur: Amor necessarius nedum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, non solum cum avertio à Deo, sed etiam cum diversio ab illo est impossibile; cum enim sit continuus & nunquam interruptus, omnia quæ beatus diligit, actu refert & ordinat in divinam bonitatem tanquam in ultimum finem: Atqui amor beatificus, nedum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, necessarius est, ut art. 1. ostendimus: Ergo cum illo nedum avertio, sed etiam diversio à Deo est impossibile.

73. Confirmatur: Actus charitatis, quod taliter homo fertur in Deum, ut si memoria occurreret veniale peccatum, ipsum detestaretur, cum eo peccato incompatibilis est: Sed amor patriæ istius est conditionis: Ergo cum veniali peccato est incompatibilis. Major patet, Minor probatur. Amor patriæ debet esse conformis cognitioni per quam regulatur: Sed visio beatifica, quæ regulat amorem patriæ, proponit Deum ut super omnia diligendum, & ad minus virtualiter iudicat nihil esse appetibile quod ad Deum ordinabile non sit: Ergo amor beatificus non solum est dilectio Dei super omnia, sed etiam excludit quemvis affectum objecti ad Deum ut ad finem ultimum non ordinabilis, & virtualiter detestatur omne peccatum veniale.

74. Ratione ista ex amore beatifico desumpta sæpè utuntur SS. Patres, præsertim Gregorius lib. 5. moral. cap. 27. aliàs 28. ubi ait: *Natura Angelica est in semetipsa mutabilis, quam mutabilitatem vincit per hoc, quod ei qui semper idem est, vinculis amoris colligatur.* Et D. Augustinus 14. de civit. cap. 9. *Vbi (inquit) boni adepti amor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cavendi timor securus est.* Illius etiam meminit Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 6. & D. Thomas qu. 24. de verit. art. 8. & lib. 4. contra gentes cap. 92. ratione 7.

75. Dices: Charitas patriæ, & charitas viæ sunt eiusdem speciei; & charitas viæ interdum est major, & perfectior intensivè charitate patriæ: Sed charitas viæ non excludit potentiam ad peccandum, imò nec actuale peccatum, saltem veniale: Ergo nec charitas patriæ.

Respondeo concessa Majori, & Minori, negando Consequentiam: nam charitas patriæ non habet ex sua ratione specifica, nec ratione perfectionis intensivæ quæ gaudet, quod tollat potentiam ad peccandum, sed solum ratione perfectionis individualis, seu modi operandi quem habet in patriæ: cum enim ibi reguletur per lumen gloriæ, & claram visionem, quæ Deum ut habentem omnem rationem boni clarè repræ-

A sentat, & iudicat nihil esse appetibile quod ad Deum ordinabile non sit; hinc habet quod non liberè, sed necessarè operetur, & tollat potentiam ad peccandum etiam venialiter, ut antea exposuimus.

S. II.

Corollarium notatu dignum.

**E**X dictis inferes contra Victoriam relatum à Medina hic art. 4. & contra Ægidium à Præsentatione lib. 11. qu. 16. art. 3. s. 3. causam sufficientem impeccabilitatis beatorum esse visionem beatificam: unde et si de factò visione & amore impeccabiles reddantur, si tamen de potentia Dei absoluta amor ex visione non sequeretur, ratione solius visionis impeccabiles remanerent.

Patet hoc corollarium ex supra dictis. Tum quia voluntas videntis Deum ita se habet respectu boni divini, sicut voluntas viatoris in ordine ad bonum in communi: unde sicut impossibile est aliquem in via operari, nisi respiciendo rationem boni in communi; ita qui videt Deum non potest velle quicquam quod non ordinetur ad ipsum. Tum etiam quia, ut supra arguebamus, non potest esse in voluntate peccatum, nisi in intellectu error, ignorantia, aut inconsideratio præcedat: Sed visio beata ratione sui omnes illos defectus ab intellectu beatorum excludit: Ergo ratione sui, amore non subsecuto, est incompatibilis cum actuale peccato.

Dices: Visio beata non habet immediatam oppositionem cum peccato: Ergo non habet ex natura sua excludere illud. Consequentia videtur legitima. Antecedens probatur: quia visio est in intellectu, peccatum in voluntate: quæ autem sunt in diversis subjectis non habent immediatam oppositionem, neque sese invicem excludunt, ut summa frigiditas in manu, & summus calor in pede: Ergo &c.

**R**espondeo concessa Antecedente, negando consequentiam. Licet enim visio Dei non habeat immediatam oppositionem cum peccato, habet tamen oppositionem immediatam cum aliquo requisito de necessitate ad peccatum, scilicet cum iudicio practico, quo intellectus hic & nunc iudicat aliquod bonum apparens esse eligendum & amandum, quamvis legi divinæ contrarietur, & non sit ordinabile in divinam bonitatem: hoc autem sufficit ut visio beatifica ex se, & independentè ab amore quem causat, peccatum tam mortale quàm veniale excludat, & cum utroque sit impossibile, ut patet ex supra dictis.

ARTICVLVS V.

*Vtrum de potentia Dei absoluta possit cum visione, aut amore beatifico, peccatum actuale, vel saltem habituale componi?*

**I**N huius difficultatis resolutione tres reperio Theologorum sententias. Prima asserit peccatum, tam actuale, quàm habituale, posse de absoluta Dei potentia cum visione & amore beatifico conjungi. Sententiam hanc defendunt omnes qui censent, beatitudinem non reddere hominem impeccabilem ex propria & intrinse-

76.

77.

78.

79.